



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 47. Mutua clades.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XV. petus, qua vi qua arte fortiter repellere,
A.C. 1495. jamjam decreverat, cum suorum auxilio,
 quod interea præstolabatur, opportune
 adjutus discrimini eriperetur: cum vero
 Galli ad ejusmodi pericula sæpius elu-
 standa, viribus ac numero impares es-
 sent, si forte Itali denuo aciem restitu-
 re tentarent, idcirco unacum Rege ad
 postremum agmen sese receperunt.

§. XLVII.

Mutua clades.

*Comm. l. 8.
c. 6. p. 116.* **N**ec tamen æqualis erat utrinque cla-
 des; juxta Comminæum enim, qui
 prælio aderat, e Gallis cecidit nonnisi uni-
 cus primæ nobilitatis vir, nempe Julianus
 Burgonovus, qui portæ regiæ custodi-
 bus præterat, præter hunc alias quidam
 Nobilis, ac Scotorum novem ex regiis
 custodiis, necnon equites in primo ag-
 mine pugnantes circiter viginti, & fer-
 me sexaginta, aut octoginta famuli ad
 sarcinarum custodiam positi occubuerunt,
*Guicci. hist.
Ital. lib. I.* adeo, ut occisorum numerus, juxta Guic-
 ciardinum non nisi ducentos, juxta Co-
 minæum vero, centum duntaxat arma-
 tos complecteretur. Ex adverso in hostili
 exercitu pene quatuor millia desidera-
 bantur, quos inter non pauci aquis sub-
 mersi perierunt. Cæsi fuere trecenti
 quinquaginta cataphracti, octodecim
 Pro-



Proceres, quos inter erant quatuor, aut
quinque Gonzagæ ex familia Marchionis
Mantuani, qui ex subditis suis circiter sex-
ginta Nobiles amisit. Id præcipue Fæ-
deratis vito dabatur, quod de exercitu suo,
nec Ducein, nec milites gregarios dele-
gissent, exploraturos, quæ de noctu in
Gallorum castris agerentur, quodque so-
lidæ triginta sex horas tanta languissent
negligentia, ut Carolum Regem auffu-
gisse, nonnisi postera die versus meridiem
comperirent, quem quidem insequi co-
nabantur, sed Tarrus ex continuis im-
bribus adeo excreverat, ut ante vespe-
ram illum tracicere nullo pacto possent.

Sæcul. XV.
A.C. 1495.

§. XLVIII.

Gallici exercitus fuga inscio hoste.

Quamvis hoc prælium Gallis felix fau- Com. 1. 8.
stumque cessisset, nihilominus Ve- c. 6. & 7.
neti exercitum Caroli Regis immani cla-
de deletum fuisse jactitabant; unde Ve-
netiis Hymnum Ambrosianum solemniter
decantari jubebant, atque in cunctis di-
tionis suæ urbis festivos ignes in læti-
tiæ signum accendebant, populo exhibe-
bentes Regis tentoria, quæ Albanenses,
dum sarcinas deprædabantur, occupa-
bant: Interea tamen Gallorum copiæ al-
tera post pugnam die stationem in acie
quiete tenuerunt, & nonnisi feria quarta
die